

**Dissertatio inauguralis medica de praxi medicinali secundum theoriam
instituenda ... / habebit Georgius Matthiae.**

Contributors

Matthiae, Georg, 1708-1773.

Publication/Creation

Gottingae : Apud Abram Vandenhoeck, Acad. typogr, [1741]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/bwgggu7xy>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO
 INAUGVRALIS MEDICA
 DE
PRAXI MEDICINALI
 SECVNDVM THEORIAM INSTITVENDA:

QVAM
IN ALMA GEORGIA AVGVSTA

FORTVNANTE DEO,
 AVTORITATE GRATIOSI ORDINIS MEDICI,
 PRÆSIDE V. EXC.

IO. ANDREA SEGNERO, D.

MEDIC. PHYS. ET MATHEMATVM P. P. O.

REGIÆ LONDINENSIS SCIENTIARVM SOCIETATIS SOD.
 PATRONO SVO OBSERVANTER COLENDO,

PRO SVPREMA IN ARTE MEDICA DIGNITATE

D. XVII. JVNII clō lō CC XLI.

H. L. Q. C.

HABEBIT

M. GEORGIVS MATTHIÆ, CIMBER,

BIBLIOTHECÆ BVLOVIANÆ CVSTOS.

G O T T I N G Æ

APVD ABRAM. VANDENHOECK, ACAD. TYPOGR.

IN A VOLUME OF THE
JOURNAL OF THE
ROYAL SOCIETY OF MEDICINE

PRAXIS MEDICINAE

PROPTER QUOD IN HOC VOLUME

DE AGRI CULTURA

IN AGRICULTURA

DE AGRI CULTURA

DE AGRI CULTURA

DE AGRI CULTURA

IO. ANDREA SEGNERO, D.

MEDIC. PH.D. ET MATHEMATIC. P.R.S.

REGI LONDINENSIS SOCIETATIS SOCIUS

PATRONS TWO OBLIGANT II COLLEGE

PRO SYSTEMA IN AGRI CULTURA

IN AGRI CULTURA

IN AGRI CULTURA

IN AGRI CULTURA

IN AGRI CULTURA

IN AGRI CULTURA

IN AGRI CULTURA

IN AGRI CULTURA

VIRIS ILLVSTRIBVS ATQVE EXCELLENTISSIMIS,
GRATIOSI IN ALMA GEORGIA AVGVSTA
ORDINIS DECANO SPECTABILI GRA-
VISSIMISQVE ASSESSORIBVS

DISSERTATIONEM HANC

D. D. D.

AVTOR.

*Quod pro consequenda summa in arte salutaris
dignitate dissertationem hanc in publicum ef-
ferre possum, muneris id vestri est, PATRONI
summa observantia colendi, qui sumtibus in eam
rem impendendis me liberalissime levastis. Equi-
dem intelligo, quantum sit hoc beneficium, quo
vitæ certa ratio constituitur eademque publicum
accipit characterem atque statum, in quo solami-
na & allevamenta mortalitatis, quæcunque fue-
rint, sperare licet. Quemadmodum autem Vos
in me ornando nihil spectavistis præter puram be-
nefaciendi voluptatem, ita ego meum puto, sal-
tim gratum Vobis testificari animum, significa-
rique, maximum hac re cumulum accessisse ad ve-
terem illam, qua Vos colo, observantiam. Va-
lete, & me meaque Vobis etiam atque etiam
commendata habete, si meruero. Gottingæ d.
8. Junii 1741.*

CONSPECTVS.

Theoriam Medicinalem tractandam esse ante Praxin; & quæ sit hac in re differentia temporum antiquissimorum & post secutorum §. I. quomodo Theoretica Medicinæ cognitio transeat in Praxin §. II. quanta Theoreticorum præceptorum notitia necessaria sit ei, qui Praxin auspicaturus est §. III. Propositi ratio & causæ cur præsens argumentum electum sit §. IV.

Prima historia, morbi Inflammatorii ad vesicæ collum §. V. Diagnos, Prognosis, & Indicationes in primo stadio hujus morbi §. VI. Remedia generatim §. VII. Individuales indicationes §. VIII. quid Regionis conditio admoneat §. IX. Medicamenta speciatim adhibita in principio §. X. - - in progressu §. XI. curatio morbi in altera ejus periodo, formandi Abscessus §. XII. - - in tertia, Gangrænæ §. XIII. collatio dictorum cum præceptis Boerhaavii, hujusque laus §. XIV.

Secunda historia, Epilepsiæ in infante, in Paraplegiam desinentis §. XV. Diagnos & Prognosis §. XVI. Indicationes §. XVII. Remediorum administratio §. XVIII. continuatio historię & medicationis §. XIX, XX. ulterior continuatio, & observatio de noxa a Mercurio Dulci incautius dato §. XXI, XXII. Paraplegiæ relicte curatio §. XXIII - XXV.

Tertia historia, Variolarum spuriarum in tribus pueris §. XXVI. Indicationes §. XXVII. Medicamentorum administratio §. XXVIII, XXIX.

Quarta historia, Tympanitis cum Hysterica passione & Arthritide conjunctæ §. XXX. Indicationes §. XXXI. Medicamentorum usus §. XXXII. continuatio historię & curationis §. XXXIII, XXXIV. salutaris exitus §. XXXV.

Quinta historia, dolorum Rheumaticorum in Hysterica §. XXXVI. Indicationes §. XXXVII. Medicamenta §. XXXVIII. recrudescentia morbi §. XXXIX. cura §. XL. continuatio §. XLI, XLII.

B. C. D.

DISSERTATIO INAUGURALIS
M E D I C A

DE

PRAXI SECUNDUM THEO-
RIAM INSTITUENDA.

§. I.

Mortalium curare morbos quisquis voluerit, illi & morbus, quem curandum suscipit, & remedia, quibus curatio peragenda, cum rebus ad utrumque pertinentibus, cognita sint necesse est; & minimo hujusmodi antecaptæ cognitionis gradu ne quidem empiricus carere potest. In initiis medicinæ addiscebantur ista medendi præcepta per observationem & experientiam: postquam autem semel reperta sunt, deinde in disciplina magistrorum percipiuntur; nisi quando novum aliquod incidat, in quo quidem ad antiquum observandi morem sese recipere oportet.

§. II.

Qui sic præceptis institutisque medicinæ memoriam instruxit, ubi ad ægrotantem venerit, a conspectis phænomenis admonebitur, quemnam morbum iisdem significari in scholis didicerit? atque agnito morbo simul recordabitur ea,
A quæ

2 DISSERTATIO MEDICA

quæ de illo curando tradidere magistri: atque hæc in usum trahet.

§. III.

Quandoquidem autem innumerabilis rerum & in iis accidentium est varietas, neque ullus per omnem vitam discendi finis: quæritur, quanta rerum medicarum cognitio ad exordium praxeos necessario afferri debeat? Cui quæstioni ut quam brevissime respondeam, videtur, sufficere in principio cognitionem illorum universalium præceptorum, ad quæ tanquam ad principia reducuntur quælibet singularia; atque applicationis eorundem in exemplis singularibus. Quodsi enim hoc didicerit futurus medicus, habebit cynosuram, quæ ejus vestigia possit regere in labyrintho praxeos medicæ, quaque præmonstrante reliqua tum addiscere liceat.

§. IV.

Quare, quum mihi nunc artis, quam olim didici, profitendæ jus ac potestatem petenti, tirocinium ponendum fit & specimen studiorum publice proponendum; aptissimum judicavi, periculum facere, quid istius cognitionis, applicandi præcepta scholæ ad singularia morborum exempla, consecutus fuerim: id quod non melius fieri posse putavi, quam si ipsis curationum peractarum exemplis afferendis declararem rationem, quam in primordiis artis exercendæ secutus sum. Excerptam igitur Casus, quos vocant, aliquot ex iis, quos anno abhinc septimo, 1735, tractavi descriptosque servo, eosque ad Theoriæ præcepta artisque regulas exigam: quo partim judicent æqui & boni, quid de mea qualicunque opera sentire debeant; partim, in quibus minus recte scienterque versatus fuerim, moneant melioraque doceant.

§. V.

§. V.

I. Ecclesiastes erat paganus, duos supra quinquaginta annos natus, laxi succulentique habitus, molli otiosæque vitæ semper deditus, scorbuto a multis retro annis obnoxius. Aliquando, sed semel tantum, cæcis hæmorrhoidibus laboraverat. Jam nunc aliquamdiu ubi-rem & fere perpetuum sordium alvinarum flatuumque proventum erat conquestus. Hic peracutum imi ventris dolorem percipit, & sensum tanquam si vesicam aliquid premat; conjunctis vomendi conatibus, anxietatibus, frigidi sudoris expressione, alvo obstructa quidem, sed dejiciendi stimulos sentiente, & urinæ difficultate. Lotium jam binis ante diebus ægrius reddiderat, remediumque quæsierat in largiore fortis cerevisiæ haustu. Idem lotium aliquanto saturatius rubet. Ructibus aut flatibus emissis, levamen sentit. Pulsus celerius, sed debilius micat. Pectus grave, appetitus prostratus est: Somnus imperturbatus. Erat dies 25 Januarii: Cælum frigidum & humidum, quo in statu etiam per totum morbi decursum persistebat. Regio, Cimbria s. Jutia Meridionalis: loci situs, haut procul a mari, versus Occidentem: venti frequentiores gravioresque, inter occidentem & septentrionem, Caurus dictus aut Circius. Medicamentis assueverat, Antispasmodico sic dicto pulveri, & pilulis contra Obstructiones, commodæ compositionis. Medicatione instituta, alvus libera reddebatur, multis exturbatis flatibus; flatulentia tamen perpetuo remanente. Adhæc, virium aderat collapsus, & luridus aspectus: difficilius quoque respirare videbatur: mictio quidem paulo expeditius succedebat: tractorius vero dolor cum ponderis sensu super pubem persistebat, ut ægre corpus erigere & e lecto surgere posset. Accedebant deinde dolores rheumatici alterius genu, & postea humeri: nonnumquam corpus leviter inhorrescere narrabat. Summa atonia cum infarctu suis se signis prodebant. Continuatis succenturiatisque remediis, appetitus & vires qualitercunque redierunt: relicta tamen aliqua pressione in imo ventre. D. 6 Februarii mensis tantum valuit, ut Confessionem peccatorum, hominum qui ad celebrandam sanctissimam Eucharistiam convenerant, domi suæ mane audire Absolutionemque

administrare potuerit. Verum eodem die, quum ad epulandum bibendumque se liberalius invitasset, carnesque ferarum anatum paulo largius comedisset, vesperi pressionem in imo ventre exacerbari sensit, & insequente nocte, circa mediam, acutissimus in eodem loco insurrexit dolor. Quem quum, suo ipsius usus consilio, antispasmodico sic dicto pulvere compescere intendit, duasque ejus doses, brevi tantum interposita mora, ingurgitat: vehementi horrore febrili correptus, per dimidiam horam toto corpore validissime concutitur, nullo tamen aestu subsequente; tum quoque pulsus & in carpo & ad tempora ferme omnino non potuit percipi. Clysterum, qui iterum suadebantur, usum pertinaciter respuens, ab Alio pharmaca ad alvum interius proritandam accipit, verum irriti successu. Malo præcipitante, mox d. 8 Febr. vomit materiem atro-viridem, terreis quasi ramentis intermixtis: deorsum quoque aliqua, præsertim flatus, excernuntur, cum vere cadaveroso fœtore: singultit, ingentique siti affligitur. Postremo, d. 9 Febr. hora prima a meridie, subita morte deficit, postquam paulo ante lubido incesserat assumendi assos passeres & decoctum fructuum cynosbati. Defuncti corpus multo humore, per os reddito, diffluxit: scrotum brevi atrum colorem contraxit.

§. VI.

Quisquis ad curandum morbum propositum vocatus fuerit, illi in prima mali facie succurret ex Theoria, esse congestionem inflammatoriam ad collum vesicæ, acri fermentato potu exacerbata: immedicabile fortassis fore malum, præsertim in corpore flaccido & impuro, & scorbutum alcalici generis alente, quum in universum ejusmodi vesicæ morbi post quinquagesimum annum difficillime curentur: ad levandam autem ægritudinem opus fore, ut primo remedia resolvendis educendisque impactis fervientia administrantur*

* Vid. Hippocr. Epid. VI, 8, 4 & Aphor. VI, 6 cum Commentar.

strentur: quare relaxanda erunt vasa, humores autem fluxiles reddendi, & vi aliqua incussa trajiciendi.

§. VII.

Ut relaxatæ partes continentes liberiores concedant contentis com meatum, vicina ab infarctu liberanda; & primo quidem Rectum intestinum cum Colo: Quapropter Clysmata convenient. Deinde totus quoque Intestinatorum canalis expurgandus erit. Tum potus tenues ac diluti fluiditatem conciliabunt, adjectusque stimulus eosdem fortius impellet: utraque autem ad vesicam peculiariter dirigenda. Exterius etiam Frictionibus Epithematibusque vis addenda solidis.

§. VIII.

In præsentæ ægro ut hæc ad ejus naturam & singulares vitæ rationes rite applicentur, considerandum, laxum habitum respuere relaxantium proprie ita dictorum usum, & vicina tantum vacuefacienda partim quo spatium liberius concedant obstructis, partim humores ad sese derivatos ab afflictis locis avertant; contra, indicari Tonica. Præterea, quandoquidem magna debilitas & senium adest, inprimis curandum, ut vires vitales recreentur Analepticiis. Quum autem imbellè corpus non ferat valentia, neque celerem medicinam, omnem curationem leniter moderateque peragendam esse. Consuetudini ægroti velificandum in medicamentis usitatis.

§. IX.

Règionis conditio jubet attendere ad Repletionem & Scorbutum, utrumque familiare gentium borealium malum.

6 DISSERTATIO MEDICA

De repletione v. *Bartholin.* de Medic. Dan. Dom. p. 376 seqq. Similiter, Car. *Claromontius*, postquam probaverat, *Repletionem Anglicanorum effectricem esse morborum, ad eorum curationem unam itidem evacuationem satis esse futuram putat, & quidem purgationem quæ supra vel infra fit, de Aere Locis & Aquis terræ Angliæ p. 66.* De Scorbuto *Bartholin.* c. l. p. 88: Etiam, ait, qui communes nobis Danis cum aliis sunt morbi, in nostris tamen corporibus, scorbuto vitiatis, propriam qualitatem induunt, & fere proprii sunt, quia scorbuto sociantur vel miscentur. Subjungit, in ejusmodi morbis curandis sese addere inquilinas herbas scorbuto adversas, sine quibus frustra in curatione morborum nostrorum erimus.

§. X.

Igitur, pro copia pagi, clystere ex decocto aliquo parabili, vel lacte, adjecto vitello ovi & sale culinari, eluantur intestina: crassioris generis cibi prohibeantur: jusculis carniū teneriorum, cum incoctis herbis radicibusque temperatis, decoctis item bene conditis horæis, vescatur: bibat potum theæ aut coffeæ, cui modicum corticum aurantiorum, anisi stellati, &c. infundatur; itemque ptisanam, aut decoctum hordei vel avenæ; quibus nonnunquam pauxillum vini potest affundi: adeoque etiam in pastu tantillum vini concedatur: pulvere suo antispasmodico mane semel, vespere bis utatur; cujus dosibus singulis admisceatur guttula olei stomachici & carminativi: interponatur aliquando haustulus aquæ calcis vivæ: fricentur calidis pannis inprimis superiora: ad locum affectum apponantur sacculi herbarum roborantium, aqua calcis & vino incocti; vel poterit eadem aqua cum admixto paucō spiritu vini camphorato calide cum linteis adhiberi.

§. XI.

Sic spasmis doloribusque post liberatam apertiolemque
fa-

factam alvum sedatis, contra reliquias & novam collectionem fordium, infarctum, flatulentiam, atoniam, præter continuationem dictorum dandus pulvis digerens atque incidens ex aro, iride Florentina, cum cancrinis oculis, fale medio, paucoque nitro; qui ter in die sumatur ex aquis appropriatis, ut e. g. Fœnic., Ros., Zedoar. anis., admixto tantillo aquæ cinnamomi *: pilulis suis usitatis altero quoque die, aut quando opus videbitur, alvum purget: cum potu theæ cet. hauriat mixturam ex Ess. L. Sassafr., Tinct. Tart., Spir. Cochlear., Tinct. Mart. aperitiva, cet.

§. XII.

Sed jam aliam faciem asciscit morbus: nam vagus ille, subinde recurrens, horror significat inflammationem vergere in coctionem puris. Neque tamen in curationis administratione quicquam mutandum videtur: quandoquidem præscripta valeant ad maturandam suppurationem.

§. XIII.

Post diem 6 Februarii sequitur letalis in gangrænam sphacelumque catastrophe: Quo tempore gratulabar mihi, quod otioso liceret spectare frustraneam alterius medentis operam. Et quid aliud adhuc restabat faciendum, quam analeptics, acidulis, sapidis, fragrantibus, potu atque esca simili, putredini adversis, fugientem comitari animam?

§. XIV.

Quo magis appareat propositum morbum rite secundum leges ab artificibus observatas traditasque periodum suam absolvisse, quaque ratione tractari debuerit; poterit, instar

O-

* Hoc pulvere magnopere se levare dixit.

omnium, conferri doctrina b. *Boerhaavii* in Aphorismis Practicis, Aphor. 960, 965, & 969. Certe, ex quo tempore ego hæc adeo vidi convenire cum Boerhaavianis præceptis, ingens ad meam illius sapientissimi viri venerationem facta est accessio.

§. XV.

II. Venit rusticus pro filiola medicinam rogans, d. 16 Martii. Puella est dimidium ultra quatuor annos nata, quæ jam a quatuordecim diebus motibus epilepticis cruciatur. Initio externis tantum partibus malum inhæsisse narrat, sed ab usu guttularum quarundam, a generosa aliqua femina datarum, conquievissæ & intro esse versum; continuatoque licet ejusdem liquoris usu, malum tamen auctum fuisse, aphoniam accessisse, neque visum neque auditum superesse videri: nunc semper, ubi a somno expergiscatur, repetere motus illos convulsivos, quum in principio continua per aliquot dies epilepsia agitata fuerit. Per antegressam hiemem pertussi epidemia laboravit.

§. XVI.

Meminisse oportet, symptoma illud epilepsiæ in infantibus oriri solere a dentitione, a lumbricis, & ab acri saburra primarum viarum: pertussim quoque indicare ventriculi coluviem; præterquam quod ibi locorum, præsertim ruri, soleant sese multis crassisque alimentis onerare, quemadmodum jam ad præcedentem Casum observatum est: a difficultate dentitionis esse valetudinem, non fieri verosimile, quandoquidem ætas jam transierit dentitionem: guttulas istas fuisse sine dubio liquorem cornu cervi succinatum *: quum natura tamdiu contra morbum valuerit, spem esse recuperandæ sanitatis: sed, quia nervorum compages admodum longinquitate convulsionum & repetitione insultuum debilitata sit adeoque jam consuetudinem ejusmodi motuum contraxerit,

* Hoc deinde quoque ex ipsa Nobili femina rescivi.

rit, tardiores fore sanationem: ver etiam & ætatem appropinquantem juvaturam curationem.

§. XVII.

Ante omnia tolli debet fomes mali, hic verosimillime in intestinis residens; inprimis quum non amplius urgeat symptoma: simul tamen cavendum ab ejusmodi rebus quæ nervis adversæ sint, & amica hisce sensibilibus motumque administrantibus partibus associanda medicamentis primariis: similiterque conjungenda quæ vitæ vires moderate reficiant.

§. XVIII.

Dentur pulveres ex conchis præparatis, cornu cervi usto, lumbricis terrestribus, cinnabari, sale enixo, radice iridis Florentinæ, & momento mercurii dulcis*, compositi; qui vel cum lacte, vel aqua graminis, vel syrupo quodam aut melle ingerendi; vel poterit in eum finem commisceri haustus ex aqua primulæ veris, florum tilia, ulmaria, papaveris rhœadis, florum aurantiorum, cet. deinde inungatur abdomen unguento de arthanita & oleo colocynthidis, tanacetum, absinthii: insequente mane detur pulvis purgans ex jalappa & syrupo de cichoreo cum rheo, aut syrupo rhabbari: ne comedat crassa, farinosa, lacticia, cet. vescatur jusculis carni, aromatibus leviter acuat: bibat cerevisiam meraciorem, & nonnunquam modicum vini Hispanici, aut similis: blando semper calore foveatur.

§. XIX.

* Mercurio quidem non bene convenit cum genere nervoso, quemadmodum nec lacti: verum quum mox iterum pharmaco forent exturbanda, vermium & commodæ deglutitionis causa propinari posse visa sunt.

§. XIX.

Hisce adhibitis, rediit pater retulitque, aliquot lumbricos alvo puellae exturbatos esse, ejus quidem coloris ac speciei ut solent ex bene cætera valentibus pueris prodire: cæterum, adhuc ejusdem esse morbum tenoris.

§. XX.

Lumbricorum ejectorum habitus nihil finistri prælagit. Ordinentur aliquanto fortiora analeptica & sedantia, confecta ex aquis prædictis, addita aqua cinamomi & tinctura croci, gratoque syrupo, ut caryophyllorum, corticum aurantium, florum persicorum, (qui etiam contra vermes peculiariter valet) cet. admisceatur etiam aliquid syrupi diacodii: loco pulverum antea præscriptorum, nunc conficiantur alii ex cornu cervi aliisque absorbentibus, lumbricis terrestribus, cinnabari, dente hippopotami, croco, succino albo, nuce moschata, ambra grysea, cet. assumanturque cum vino aut potione prædicta: bis quotidie bibat infusum theæ Indicæ, cum dosi mixturæ ex essentia succini & pimpinellæ albæ, vel corticum aurantium, cet. una vel duabus ante pastum horis hauriat elixir proprietatis & essentiam absinthii compositam, cum vino: lingua, nucha, tempora, & vertex laventur aqua Anhaltina, cui parum olei destillati succini immixtum sit: in diætâ simili persistat, prout supra dictum est.

§. XXI.

Post aliquot dierum intervallum, nimirum d. 27 Martii, renunciat pater, motus illos involuntarios fere omnino esse sopitos, somnumque placidiorem ac longiorem capere filiam: verum superesse a-
pho.

phoniam, & nec flere posse, omniumque membrorum summam esse laxitatem. Præterea, ab cælo diebus aliquid ulceris in ore, præsertim in lingua, aphthis simile, erupit, & sitis plus solito urget.

§. XXII.

Attendi meretur illa exulceratio oris ἀφ' ὁμοίων subnascitur enim suspicio, potuisse excitari a mercurio pulveribus addito, sicubi forte non recte fuerit præparatus, aut pulvis minus caute puellæ datus. Quamobrem colluatur subinde os lacte calido, abstergeturve penicillo, aqua salviæ, lacte vel flore lactis imbuto: detur etiam purgans medicamentum, idemque, si opus erit, repetatur.*

§. XXIII.

* Simile exulcerationis oris exemplum alio tempore observare mihi contigit. Puella erat urbana, ejusdem plane cum hac, de qua agitur, ætatis: illi contra vermes datus erat pulvis, sed eo assumpto motus epilepticos incurrerat: deinde accesserat febris primum quotidiana, deinde tertiana, quandoque contopita visa, sed mox reversa. Quæ propinata fuerant adversus vermes remedia, nondum quenquam egerunt. Petitur consilium. Nares frequenter vellicat: pallor est circum oculos. Ordinatur, præter alia, pulvis antifebrilis cum paucis mercurii granulis: quo assumpto, purgari jubetur jalappa cum iride Florentina momentoque mercurii. Exhibuerunt autem primo purgantem pulverem, ac deinde illum alterum: quo integre consumpto, febris quidem omnino recessit, sed gena præsertim dextra supra angulum maxillæ visa est intumescere, gingivæ exulcerari, linguæ superficies materia flavescente obduci, latera vero & apex similibus ulcerosis crustis obsideri ut gingivæ. Erant autem crustæ viscidæ, albicantes, foetentes, abrasâ particula, nova propullulabat. Nunc etiam commemorant, jam ante exortam febrem ulcus gingivarum dextri lateris enatum fuisse, (quin adeo gingivas omnes albam putremque fudisse faniem) quod quum detergente medicina tractassent, insultibus epilepticis correptam fuisse puellam. Hoc in statu, aliis, adeoque etiam chirurgo celebri ac prudenti, res conclamata videbatur: gangrænosam chirurgus pronunciabat erosionem, longiusque aut citius secuturum sphacelum; atque hanc prognosin commemoratione aliquot exemplorum confirmabat. Mihi quidem

§. XXIII.

Post aliquod temporis intervallum vidi infantem, eamque apprehendi universali fere omnium membrorum, itemque linguae & sphincterum ani ac vesicae, paralyti tactam; motus tamen manuum & capitis, sensusque superest: nonnunquam profunda trahit suspiria: quando acriter ejulat, tussis exoritur: gestus quasi fatuitatem indicant: digitumque saepius ori ad masticandum intrudit; atque adeo tumor est in loco dentium molarium posteriorum, qui adhuc deficiunt.

§. XXIV.

Est Paraplegia, praecipue linguales & inferiores spinæ nervos cum suis musculis afficiens; producta a violentia concussuum epilepticorum, motas partes adeo debilitante: suspiria & tussis indicant pertussis reliquias: impeditus posteriorum dentium exitus ad morbum concitandum aliquid contulisse videtur. Itaque indicantur ejus generis remedia, quæ debilitatas partes corroborarent astringendo, obstructa referent, inertia extimulent ad motum, vitale liquidum attrahant ad loca minus irrigua: præterea, educant aliena: denique, molarium exitum promoveant.

§. XXV.

consultum videbatur, os eluere, ulcuscula abstergere, frigus evitare, nonnunquam alvum ducere. Quo facto, integerrime convaluit. Interea autem dederat aliquando pharmacopœus, pro purgantibus, morsulos contravermes Dispensatorii Brandenburgici, quorum semuncia continet grana quinque & pauxillum præterea mercurii dulcis: quibus quidem egregie subducta fuerat alvus, & reliqua valetudo in meliorem statum redacta; sed illud prius oris malum statim recruderat. Hinc disci potest, inter alia, quam caute anceps ille gladius, mercurius dulcis, tractari debeat, præsertim in scorbuticis. Periculum facit expertum medicum, ut dicebat aliquis: καὶ ἐγὼ τὸν τὸν ἰντὸν ἰσχυρῶς ἐπαινέοιμι τὸν σμικρὰ ἀμαρτάνοντα, ait Hippocr. de Vet. Medic. cap. XVI.

§. XXV.

Quapropter, pro tenuitate hominum, commendandum balneum vaporosum ex herbis rosmarini, salviæ, lavendulæ, serpilli, majoranæ, melissæ, menthæ, abrotani, pulegii, matricariæ, cet. simulque frictiones pannis laneis calidis, suffitu succini similive infectis, subjungantur; præstantissimum autem esset, tale balneum ex viventium formicarum acervo conficere; earundemque spiritu membra lavare: apponatur bis per hebdomadem emplastrum vesicatorium ad furas, vel ad brachia, vel ad nucham, vel inter scapulas: lingua undique, præsertim ad radicem, inungatur oleo destillato succini & rosmarini: singulis hebdomadibus alvus perturbetur jalappa ejusque resina cum aliquo syrupo: bis quotidie bibatur infusum theiforme, cum essentia s. mixtura supra descripta: bis etiam tempore vespertino deglutiatur pulvisculus ex oculis cancrorum, radice iridis, & cinnabari, cet. diæta talis sit qualis antea dicta est. *Atque his aliquamdiu usurpatis, puella loquelam, & ingressum, & integram valetudinem ex sententia recuperavit.*

§. XXVI.

III. Liberi Baronis, Regii Administri & Satrapæ, tres filii, duodecim, decem, & octo annorum, decumbunt morbo exanthematico. Ægrotatio inceperat cum lassitudine, præcordiorum angustiiis, inquiete, inappetentia, cet. Nunc, quum arcessor, invenio vesiculas, sero pruriente repletas, pisum majusculum æquantes, solitarias atque hinc inde sparsas: deprehendo etiam maculas circulares, crassioris calami scriptorii diametro æquales, coloris ex atro rubentis: adhæc, multa velut ulcuscula, tactu aspera, coloris flavescentis, quodammodo cum subjecta carne protuberantia: hinc inde quoque,

cum primis in capillata capitis parte, dura tubercula, magnitudine adeo minorum globulorum lusiorum. (Schnell Kugeln) Circa abdomen, præcordia, & dorsum in majore quam alibi copia prorupere exanthemata. Maximus natus puer gravius ægrotat; atque hujus etiam fauces & alterum oculum efflorescentiæ occuparunt; & undecimo die symptomata in hoc exacerbata sibi fuisse visa, refert generosa mater: dederat ipsi pilulas laxantes, ubi primum ægritudinem cœperat conqueri. Cæterum, symptomata leviora sunt. Variolas necdum quisquam puerorum fuit expertus. Alios quoque paucos pueros idem in hac urbe infestavit morbus; & aliquanto diutius detinuit. Est dies 8 Junii.

§. XXVII.

Videtur morbus esse ex spuriarum variolarum genere. Propulsa jam materia ad cutem, videndum, ut hæc excretio in justo conservetur modo: quare cum externus calor tum sanguinis propulsio ita moderanda, ut languens motus incitetur, excedens vero complacetur. Simul autem humorum procuranda atque conservanda tenuitas & fluiditas, quo partim restituatur quod morbi calore motuque ablatum est, partim reliquiæ corruptionis propelli queant: Et, quum in omni commotione febrili sanguis vergat ad alcalinam corruptionem, putredini quoque obviam eundum. Deinde etiam quædam partes, quibus gravius periculum imminet, ut oculi & fauces, muniendæ contra noxam. Tandem, periodo morbi absoluta, corpus probe confirmandum, antequam liberiori aeri committatur.

§. XXVIII.

Igitur, propinetur bis in die pulvisculus ex lapidibus cancrorum acido citri aut tartari saturatis (scopo roborandi solida s. subastringendi,) matre perlarum, antimonio diapho-

retico, paucoque nitro: pro vehiculo fit aqua scordii, florum sambuci, boraginis, buglossi, cet. & aqua cinamomi sine vino; nonnunquam detur haustus julepi ex aqua papaveris erratici, ceraforum nigrorum, florum tiliæ, fragariæ, violarum, rubi idæi, cet. cum syrupo florum tunicæ, mororum, acetositatis citri, cinamomi, cet. & tinctura florum bellidis, rosarum, spiritu vitrioli, tartari, cet. in excedente æstu & inquiete versus noctem detur emulsio papaveris albi & amygdalarum cum syrupo de meconio, diacodii, cet. quovis mane sorbilletur infusum theæ aut coffeæ: potus sit decoctum hordei, liquiritiæ, cum corticibus citri, saccharoque perlato; parum quoque vini Rhenani adjici poterit: in victu abstineatur carnibus piscibusque, & potius vegetabilibus vescantur: moderato semper calore externo foveantur.

§. XXIX.

Fauces colluantur decocto florum ligustri, fungorum sambuci, radicis tormentillæ, bistortæ, cet. addito syrupo diamori vel dianucum, & lapide prunellæ aut antimoniato nitro, cet. Oculi tergeantur lacte crocato, aut afflentur manducato allio, aut roborentur linteis spiritu vini camphorato conspersis. Resiccatis exanthematibus, purgetur corpus manna, aut tamarindis, cum rhabarbaro: deinde adhibeatur essentia stomachica cum vino. *Sic finitus est morbus in duobus minoribus intra quatuordecim dies, in majore autem intra tres hebdomadas.*

§. XXX.

IV. Mulier vidua rustica, quinquaginta & sex annos nata, vagis doloribus, hysteriis pathematibus, & tumore abdominis, misere decumbit. Post venæsectionem largam, in præterlapsahyeme in pede

pede administratam, primum dolor & tumor invasit minimum dextræ manus digitum, & deinde per totum brachium ad humerum usque excurrit. Hoc tandem dissipato tumore & dolore consopito, in alterum brachium translatus est dolor; paulo tamen post inde iterum recessit, interscapulia & hypochondria occupans, itemque superius capitis hemisphærium. Hysterico morbo frequenter per omnem vitam fuit vexata: jam idem subinde rebellat, hoc autem inducias faciente in hypochondriis, dolores in reliquas superioris corporis partes discurrent, ita ut alternare hoc duplex ægritudinis genus videatur. Sex jam hebdomades sunt exactæ, ex quo abdomen intumuit velut flatu distentus uter: pedes autem a tumore immunes sunt, sed admodum laxi flaccidique habitus. Sæpe ascendunt ructus, quibus explosis levatur: murmura quoque ventris subinde audire licet. Inprimis fixum sub dextra mamma hæere dolorem, tum etiam in toto hypochondrio sinistro, queritur; ex illa sub mamma sede malum in alias partes propagari, sibi videri. Omni mane horror totum corpus omniaque membra pervadit, posteaque succedit æstus: quanquam aliis etiam nonnunquam temporibus inhorrescere solet. Alias fere perpetuo friget, imbecillis est, & lecto adiecta. Pulsus dum aderam, (erat autem hora decima antemeridiana, in confinio horroris atque æstus) fortiter, duriuscule, & frequentius vibrabat. Alvus libere descendit: Urina molestius egeritur. Bis purgationem instituerat, verum sine remissione mali. Cerevisiâ cum pane decocta, admisto saccharo aut syrupo, butyro aut flore lactis, vitam sustentat, aliorum non appetens. Est dies 25 Junii.

§. XXXI.

Est tympanites cum hysterica passione & arthritide conjuncta, concomitante febris quotidiana. Primarum viarum affectus poscit laxantia, carminativa, tum tonica: dolores & febris, aperientia, resolventia, sudorifera. Symptoma
hy-

hystericum, si urgeat, compescendum. Aetas ingravescens & debilitas frigiditasque calidiorē medicinam & diætā suadent.

§. XXXII.

Ordinetur pulvis ex commistis conchis præparatis, antimonio diaphoretico sive bezoardico minerali, cornu cervi usto, tartaro vitriolato, sale absinthii, lumbricis terrestribus, millepedibus, cinnabari, cum oleo carvi destillato, ante cubitum & mane assumendus: item species pro infuso, ex radice ari & aristolochiæ rotundæ, rasura ligni sassafras, herba rosmarini, menthæ, melissæ, corticibus citri, semine fœniculi, bis quotidie usurpandæ: tum mistura ex essentia aristolochiæ, pimpinellæ, absinthii, succini, corticum aurantium, tinctura tartari & spiritu cornu cervi, cum infuso propinanda: denique pilulæ confectæ ex extracto absinthii, aristolochiæ, cardui benedicti, millefolii, aloe, succino albo, gummi hederæ, juniperi, ammoniaco, myrrha, cum terebinthina, quarum quarto quoque die deglutiantur grana quindecim. Ad compescendam hystericam assueverat philonio Romano, quo equidem primo interdixeram; sed illa nihilo secius uti perrexit, & bene cessit.

§. XXXIII.

His per octo dies adhibitis, ventris tumor subsedit, urina libere meare cœpit, sudor egregie manare, contremiscentia doloresque multum remittere; jamque multum extra lectum versatur: redit etiam appetentia. Infusi & misturæ dosim duplicaverat, quia sic sperasset plus effectum iri: verum inde, mane quidem, gravem insultum hystericum erat experta.

§. XXXIV.

Praescribo iterum species infusi ex radice angelicae, carlinae, imperatoriae, levistici, petasitidis, farsaparillae, galangae, zedoariae, herba millefolii, fumariae, capilli veneris, floribus millefolii: misturam ex essentia millefolii, carminativa Wedelii, absinthii composita, succini, pimpinellae, & tinctura tartari: pulverem ex conchis, antimonio diaphoretico, tartaro vitriolato, sale absinthii, cum nitro, vesperi & versus noctem exhibendum: pilulas ex extracto panchymagogo, fumariae, cochleariae, croci, myrrha rubra, mastiche, gummi ammoniaco, opopanace, sagapeno, cum terebinthina, eodem ut praecedentes modo adhibendas. Praeterea praecipi, infusum biberet in lecto, & ad sudorem eliciendum se componeret. Infuso parum lactis affundere permisi, praesertim quum illud ipsa desideraret.

§. XXXV.

Atque tali modo indies in melius vertebatur valetudo, gratiaeque Deo pro concione illius causa reddebantur, quum antea tanquam pro deposita preces essent fusae: denique integre convaluit in admirationem complurium.

§. XXXVI.

V. Vidua rustica, triginta & octo annorum, per undecim annos non menstruata, ab eo tempore valetudinaria, queritur rheumaticos hinc inde discurrentes dolores; imprimis molestiam sentit in sinistris hypochondriis, hinc quandoque in caput, dorsum, & artus transferuntur pathemata. Pulsus bene vibrat. Appetitus & vires deficiunt

ficiunt, & lecto addicta est. Petitur consilium. Est sub initium Februarii.

§. XXXVII.

Quoniam a suppressione evacuationis menstruæ valetudo pendet, ad illam restituendam convertenda cura; sed vix hoc tentari potest ante veris appropinquationem: interim pro tempore symptomata mitiganda antispasmodicis, aperientibus, resolventibusque; tum sanguinem diluentibus, diaphoreticis, lenibus astringentibus tonicisque.

§. XXXVIII.

Dabatur pulvis ex testis ovorum calcinatis, tartaro vitriolato s. arcano duplicato, sale absinthii, nitro, & cinabari. *Hoc sedabantur dolores.* Tum haurire jubebatur infusum herbæ & florum millefolii, cum essentia millefolii & absinthii, tinctura martis aperitiva, & spiritu cornu cervi. *Hæc effecerunt, ut lectum desereret: sed reliquam deinde curam intermisit.*

§. XXXIX.

Eadem mittit iterum d. 21 Octobris, consultum de constipatione ventris jam ultra duos dies durante, & gravi arthritide; primo quidem hypochondriorum doloribus inflationibusque vexata erat, nunc imprimis in lumbis, maxime vero in genubus atroces inhaerent dolores, cum tumore conjuncto. Magna simul adest virium imbecillitas, atque adeo misere decumbit, ut jam sacre Cœnæ sacramento accepto viam olympto affectaverit.

§. XL.

Aperiatur alvus parabili decocto prunorum cum senna: tum laventur genua spiritu formicarum & lumbricorum terrestrium, aqua Anhaltina, cum spiritu cornu cervi & essentia castorei: deglutiantur quoque vesperi grana novem pilularum compositarum ex massa de cynoglossa, extracto zedoariæ & fumarie, myrrha, & succino, & croco.

§. XLI.

D. 23 ejusdem mensis nunciatur, ista peregregiam opem attulisse. D. 27 adversus suffocationes hystericas vomendique conatus subinde rebelles expetitur medicina. Dolores non erant reversi: alvus libere fertur: infirmitas perstat.

§. XLII.

Dedi philonium Romanum cum canella alba, limatura ferri, & confectione alkermes incompleta. *Qua quidem medicina malum eximie levatum fuit.*

